
Theses ex rhetorica.

Numéro d'inventaire : 1980.00013.6

Auteur(s) : Joseph Chambon

Antoine Maubec

Jacob Boissière

Type de document : affiche

Éditeur : non renseigné (Beaucaire)

Description : Une feuille, renforcée au verso par du ruban adhésif. Les bords sont froissés et tachés. Traces des pliures médianes. Estampe dans la partie supérieure.

Mesures : hauteur : 525 mm ; largeur : 400 mm

Notes : Affiche annonçant un exercice public donné par des élèves des Pères de la Doctrine Chrétienne à Beaucaire, en juin 1719. Les élèves discuteront une série de propositions portant sur les parties de la rhétorique (invention, disposition, élocution, mémoire et support physique du discours). Suivront des explications de différents textes (catéchisme paroissial, Justin, Horace, Cicéron). L'estampe représente une crucifixion.

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Institutions privées

Niveau : Supérieur

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1

ill.



THESES EX RHETORICA.

LIBER PRIMUS DE INVENTIONE.

NIHIL est aliud juxta CICERONIS definitionem inventio, quam rerum verarum, aut verisimilium excogitatio; unde sit causa probabilis. Vocatur prima pars Rhetorices, est equidem argumentorum sedes, seu nota quæ indicatur quid in rebus pervestigare debeat orator. Ex ea pendunt loci oratorii, quibus utitur tum ad fidem faciendam, tum ad motus excitandos. Neminem latet horum utilitas dum modo consulto adhibeantur. Nam ut nos monet QUINTILIANUS cum proposita fuerit materia dicendi non sunt scrutanda singula, & velut oftentim pulsanda, ut sciant an ad id probandum quod intendimus forte respondeant. Pedagogum redoleret, non oratorem hæc oratio; quapropter operæ pretium est in scribendo ut unusquisque (postquam præceptis imbuerit animum) indolem sequatur optimam ducem; quæ penes nos est præcepta enucleare, & exemplis tum latinis tum gallicis dilucidare. Inquirentibus igitur benevolis respondebimus. Quomodo definiatur locus Oratorius, & quot introitus loci dicuntur? Quid definitio? Enumeratio partium? Notatio nominis? Conjugata? Genus? Species? Similitudo? Dissimilitudo? Contraria, & repugnancia? Adjuncta? Antecedentia, & consequentia? Cause? Effecta? Comparatio? Locis oratorii extrinseci præjudicia scilicet fama, tabula, jurandum, tormenta, testes? Quid amplificatio? Quotuplex causarum genus? Quid demonstrativum? Deliberativum & judiciale?

LIBER SECUNDUS DE DISPOSITIONE.

QUOD in ædificio lapidum, Cæmentique apta compositio ad ædium opportunitatem, & elegantiam, hoc est dispositio ad fidem faciendam, & motus excitandos. Dicitur rerum tractatarum in ordinem dispositio. Qui ordo si servetur plurimum auditores juvat oratio; si verò negligitur sit monstrum illud ex variis animantibus constatum, unde merito præcipit HORATIUS.

Singula quæque locum tepeant sortita decenter.

ORATIONIS partes vulgò quatuor assignari solent exordium scilicet, narratio, confirmatio, seu confutatio, & peroratio. Sunt tamen quibus sex assignantur exordium scilicet, divisio, narratio, confirmatio, confutatio, & peroratio, quæ isto carmine continentur.

Exorsus, narro, seco, firmo, refuto, peroro.

LICEBIT igitur sciscitari quid sit dispositio? Quid exordium? Quæ virtutes, vitia, & munera exordiorum? Quid narratio? Quæ virtutes, vitia, & ornamenta narrationis? Quid propositio? Confirmatio & confutatio? Quid peroratio? His omnibus apta adjicientur responsi exempla ex elegantissimis oratoribus, ac vocis leuissimis de prompta.

LIBER TERTIUS DE ELOCUTIONE.

AD elocutionem, seu exornationem referuntur stylus, schema, tropus. Blandi rhetores stylos solent variare, pro variâ re tenuem, medium, & sublimem; quibus adhibentur figuræ, & tropi. Quoniam igitur inventio, & dispositione constat quibus argumentationibus in uno quoque genere uti conveniat, necessàrio sequitur ut doceamus quemadmodum ipse argumentationibus ornata, & absolute tractari possunt. Nam (ut ait TULLIUS) *ferè non difficile est invenire quid sit causa, adjuncto, difficillimum verò est, inventum exornare, & expedite pronunciare.* Itaque non erit abs re si quis velit inquirere. Quid sit elocutio? Quotuplex sit stylus? Quomodo definiantur tropi? Quot sunt figuræ verborum per adjectionem? Per detractionem? & per similitudinem? Quot assignantur figuræ sententiarum idoneæ ad delectandum, ad docendum, ad movendum. Postea agitur de affectibus, quibus utitur orator ut auditorum animos moveat, inflammet, & flectat. Idcirco quæri poterit. Quid sit amor? Quid odium? Metus? Spes, & audacia? Misericordia? Ira, & indignatio? Manuetudo? Emulatio? *Varia variis exempla responsi apponentur tum Poëtis tum oratoribus latinis, & gallicis decerpta.*

LIBER QUARTUS ET QUINTUS DE MEMORIA ET PRONUNTIATIONE.

VOCATUR a TULLIO memoria rerum, & verborum custos. Altera naturalis, altera artificiosa dicitur. Naturalis ea est quæ nostris animis insita est, & simul cum cogitatione nata. Artificiosa est ea quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Prima constat locis, & imaginibus; secunda potest juvari multimodis artibus quas nobis tradiderunt antiqui. Datâ definitione (modo volupe sit) quadruplex memorix genus assignabitur.

Dividitur pronuntiatio in vocis, figurarum, & corporis motum. Enquirendum vultus, frons, oculi, manus, os, & vocis inflexio, pronuntiationem efficit aptam ad persuadendum. Nam, ut ait POETA LYRICUS.

Si vis me flere, dolendum est
primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

Quænam sit illius definitio, vis, & utilitas ad nutum postulantis referemus.

DE AUTHORIS INTERPRETANDIS.

1^o CATECHISMI AD PAROCHOS pars secunda. 2^o JUSTINI LIBER PRIMUS. 3^o HORATII FLA. duo libri satyrarum, cum arte Poëtica. 4^o tres CICERONIS orationes in ANTONIUM vulgo *Philippica* enodabuntur.

Has Theses Deo duce propugnabunt JOSEPHUS CHAMRON, ANTONIUS MAUBEC, Uzetienses, & Convidtores. JACOBUS BOISSIERE Montfrinensis, ANTONIUS BROCARDY, LAURENTIUS DUSERRE Bellocarense

Bellocari. In aula Clericorum Secularium Doctrina Christiana die mensis Junii anno Domini M. D. CC. XIX. horâ de meridie tertiâ.

On ouvrira cet Exercice par une ode sur la Rhetorique, & on le terminera par un Dialogue Pastoral.

